

## **Ethica Amoris, Sive Theologia Sanctorum, Magni Præsertim Augustini, Et Thomæ Aquinatis**

Circa Universam Amoris & Morum Doctrinam, Adversus Novitias Opiniones  
Strenuè propugnata, Et In Materiis Principaliter Hodie Controversis  
Fundamentaliter discussa

De Externis Regulis Amoris Et Morum, Legibus Utique, ac Praeceptis  
Virtutum Theologicarum, & Cardinalium, necnon Decalogi & Ecclesiae -  
Libros Vndecim Complectens

**Henricus, de Sancto Ignatio  
Leodii, 1709**

Caput V. Spes Christiana nec in hæreticis, nec in damnatis, nec in beatis  
reperitur; bene in animabus Purgatorii, & Catholicis viatpribus, etiam  
impiis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73203](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-73203)

## CAPUT IV.

*Spei Christiana certitudo absque salutis securitate.*

**39** *S*pes Christiana salutem aeternam certa expectat cum fiducia, ut ex ipsis definitio nesse constat; & ideo Apostolus Hebr. 6. ipsam vocat *anchoram animae tutam & firmam*. Et Rom. 5. dicit quod *spes non confundit*. Et David Psalm. 21. *In te speraverunt patres nostri: speraverunt, & non sunt confusi.*

**40** Fundamentum istius certitudinis est non solum certitudo soliditasque rei speratae, sed & misericordia & auxiliatrix Dei omnipotencia, & fidelitas ipsius in promissis servandis, de qua Psalm. 145. *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis*, quibus salutem pollicitus est perseverantibus usque in finem in observantia mandatorum ipsius, Matth. 24.

**41** Certitudo tamen ista non praestat omnimodam salutis securitatem. Quia non est absoluta, sed conditionata, si in mandatorum custodia perseveraverimus. Et ideo firma quidem esse debet anchora spei nostrae, sed non absque morbo aliquo timoris; cum scriptum sit: *Qui stat, videat ne cadat*. Et, *Cum metu & tremore salutem vestram operamini*. Propter quod Apostolus, adhuc post raptum suum usque ad tertium celum: *Castigo (inquit) corpus meum, & in servitatem redigo, ne forte, etiam aliis pradicavero, ipse reprobus efficiar*. Ut enim Tridentinum sess. 6. cap. 13. Justi formidare debent, scientes quod in spem gloriae, & nondum in gloriam vocati sunt, de pugna qua supereris cum carne, cum mundo, cum diabolo, in qua victores esse non possunt, nisi cum Dei gratia. Apostolo obtemperaverint dicenti: *Debitores sumus, non carni, ut secundum carnem vivamus: si enim secundum carnem vixeritis, moriemini; si autem spiritu facta carnis mortificaveritis (in laboribus, in vigiliis, in eleemosynis, in orationibus, & oblationibus, in jejuniis, & castitate, ut ante dixit) vivetis.*

**42** Certitudo itaque spei Christianae omnimodam non tribuit salutis securitatem (uti communiscuntur haeretici) nec proinde cordiae occasionem. Neque enim Christianis Deus absolute promisit salutem, sed sub dicta conditione. De qua à se adimplenda nemo, citra Dei revelationem, omnimodam habere potest certitudinem. Quia licet Christianus, saltem justus, diffidere non debet de auxilio Dei, diffidere debet de se ipso, timereque de defectu liberi arbitrii, ponentis obseculum peccati, ait S. Thomas hic q. 18. a. 4. ad 3.

## CAPUT V.

*Spes Christiana nec in hereticis, nec in damnatis, nec in beatis reperiatur; bene in animabus Purgatorii, & Catholicis viatoriis, etiam impis.*

**N**on in haereticis: quia sine fide, nec spes, nec charitas subsistit. Spes proinde quam sibi haereticus videtur habere, humana est, & naturalis; non divina, & supernaturalis.

Non etiam in damnatis: quia cum certissimi sint de aeternitate suae damnationis, salutem apprehendere non possunt ut futuram, immo nec ut possibilem, stante irreversibili decreto aeterna suae damnationis.

Neque in beatis, respectu gloriae essentiales. Quia non est ipsis futura, sed praesens; & ideo Apostolus Rom. 8. dicit, quod *spes qua visiter non est spes*. Nec in beatis spes est respectu accidentalis gloriae corporis: quia licet ipsis futura sit, ipsis tamen non est difficulter adipiscibilis, seu ardua. Et ideo sicut fides, sic & spes in patria evanescunt, tam quoad habitum, quam quoad actum.

In animabus vero Purgatorii spes ideo manet, quia non evanescunt per securitatem quam habent de gloria in futurum adipiscenda: eò quod eam adepturi non sint, nisi cum arduitate, mediante utique satisfactio ne, quam divinas debent justitiae.

Spem denique in Catholicis, etiam impius, reperiiri (dummodo eam non amiserit per peccatum desperationis, vel presumptuosis) probatur ex eo, quod quilibet mortali peccato spes non amittatur: cum peccatum quilibet mortale ei non opponatur. Unde spes à Concilio Tridentino sess. 6. c. 6. requiritur tamquam dispositio ad justificationem peccatoris.

## CAPUT VI.

*Spei praeceptum ac necessitas.*

**S**Pei, uti fidei, & charitatis, saltem imperfectae, actus necessitate medii necessarius est ad justificationem impii. Quia Tridentinum sess. 6. c. 6. inter actus absolutè necessarios ad justificationem impii, non fideli dumtaxat & charitatis (seu inchoati falem amoris Dei tamquam fontis omnis justitiae) sed & spesi actum recenset; non proinde sicut divinae justitiae timorem, quem solùm recenset velut utilem, quo utiliter continentur.

Præterea spesi actus quibusvis hominibus ratione utentibus necessarius est necessitate specialis de ea præcepti, de quo constat ex variis Scripturæ testimoniosis, quibus in Deo sperare jubemur. Unde Alexander VII. fe-